

atq; deformes sunt. Sicut enim animus non videtur oculis. ita nec pulchritudo eius. Vbi ergo nouit quid sit iustus. quod nondum est. atq; ut sit diligit iustum. An signa quedam per motum corporis emicant. quibus ille aut ille homo esse iustus apparet. si unde nouit illa signa esse animi iniusti. nesciens quid omnino sit iustus. nouit ergo. Sed ubi nouimus quod sit iustus. etiam cum iusti nondum sumus. si extra nos nouimus. in corpore aliquo nouimus. sed non est ista corporis. In nobis igitur nouimus quid sit iustus. Non enim alibi hoc inuenio cum quero ut hoc eloquar nisi apud meipsum. Et si interrogetur alium quid sit iustus. apud seipsum querit quid respondeat. Et quis hinc verum respondere potuit. apud seipsum quid responderet inuenit. Et cartaginem quidem cum eloqui volo. apud meipsum quero ut eloquar. et apud me ipsum inuenio fantasiam cartaginis. Sed eam per corpus accepi. id est per corporis sensum. quoniam presens in ea corpore fui. et eam vidi atq; sensi. memoriaq; retinui. ut apud me inuenirem de illa verbum. cum eam vellem dicere. Ipsa enim fantasia eius in memoria mea verbum eius. non sonus iste trisyllabus cum cartago nominatur. vel etiam cum tacite nomen ipsum per spacia temporum cogitatur. sed illud quod in animo meo cerno. cum hoc trisyllabum voce profero. vel antequam proferam. Sic et alexandriam cum eloqui volo quam nunquam vidi. presto est apud me fantasma eius. Cum enim a multis audissem et credidissem magnam esse illam urbem. sicut mihi narrari potuit. fixi animo imaginem eius quam potui. et hoc est apud me verbum eius. cum eam volo dicere antequam voce quinque syllabas proferam. quod nomen eius fere omnibus notum est. Quam tamen imaginem si ex animo meo proferre possem ad oculos hominum qui alexandriam nouerunt. profecto ut omnes dicerent non est ipsa. aut si dicerent

ipsa est. multum mirarer. atq; intuens in animo meo ipsam. id est imaginem quasi picturam eius ipsam. tamen esse nescirem. sed eis crederem qui visam tenerent. Non autem ita quero quid sit iustus. nec ita inuenio. nec ita intueor. cum id eloquor. nec ita probor cum audio. nec ita probor cum audio. quasi tale aliquid oculis viderim. aut villo corporis sensu didicerim. aut ab eis qui ita didicissent audierim. Dum enim dico et sciens dico. iustus est animus qui scientia atq; ratione in vita et moribus sua cuique distribuit. non aliquam rem absentem cogito. sicut cartagine. aut fungo ut possum. sicut alexandria. siue ita sit siue non ita. sed presens quiddam cerno. et cerno apud me et si non sum ipse quod cerno. et multi qui audiant approbabit. Et quisquis me audit. atq; scienter approbat. apud se et ipse hoc idem cernit. etiam si non sit et ipse quod cernit. Iustus vero cum id dicit. id quod ipse est cernit et dicit. Et ubi etiam ipse cernit. nisi apud seipsum. Sed hoc mirum non est. Vbi enim se cerneret. nisi apud seipsum. Illud mirabile est ut apud se animus videat quod alibi nusquam vidit. et verum videat et ipse sum verum scilicet iustum animum videat. et sit ipse animus. et non sit iustus animus. quem apud seipsum videt. Non est alius animus iustus in animo nondum iustus. Aut si non est quem ibi videt. cum videt. et dicit quid sit animus iustus. nec alibi quam in seipso videt. cum ipse non sit animus iustus. An illud quod videt veritas est interior presens animo. qui eam valet intueri. neque omnes valent. Et qui intueri valent hoc etiam quod intuentur non omnes sunt. hoc est non sunt etiam ipsi iusti animi. sicut possunt videre ac dicere. quid sit iustus animus id est iustus. Et unde esse potuerunt. nisi inherendo eidem ipsi forme quam intuentur ut inde formetur. et sint iusti animi non tantum cernentes aut dicentes iustum esse animum. qui scientia atq; ratione